



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ex Recogniti||one Des. Eras-||mi Roterodami.||

Erasmus, Desiderius

Basileae, 1518

VD16 E 3644

Ioannes Baptista Egnativs Venetvs Praestantissimo Ivrisconsvlto Et
Senatori Regio Iacobo Minvtio Sal.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14277



IOANNES BAPTISTA

EGNATIVS VENETVS PRAESTANTISSIMO IV.

RISCONSVLTO ET SENATORI REGIO

IACOBO MINVTIO SAL.



VI principibus, illustrioribusque uiris ingenij sui monumenta nuncupant Minuti clarissime, alij id agunt, ut aut ueteri, summaeque in eos obseruantiae sese id tribuisse dicant: alij ut eorum praesidio tuti, inuidiam minus grauem ac noxiam sentiant: alij ut fructum alieni de se iudicij ea indicatura percipiant. Nec desunt, qui posteritatis laude rapti, ac immortalitatis spe quadam inflammati, ea sibi nomina deligant nuncupatione, quae diutissime & uiuere, & florere posse sibi persuaserint. Id quod a pictoribus, artificibusque plerisque obseruatum animaduertas: qui deorum, principumque effingendis imaginibus eo libentius studeant: quo minus obnoxia illa existiment aut hominum, aut temporis iniuriae fore. Sunt etiam qui hoc ueluti sacro literarum munere promereri gratiam, beneuolentiamque eorum cupiant: siquidem haud inter postremas laudes referri debet, si quis principibus perplaceat uiris. Sed & multi facile sese, operaque suam his ostentant: quorum & autoritate ornari, & opibus augeri se sperent. Ego uti ex prioribus quosdam fortasse sequar: sic certe duas, quarum altera publica, communisque tibi cum gente gallica, altera plane tua ac propria sit, secutum in primis esse me non negem. Et communis quidem illa: quod cum singulari ac diuina potius Grolerij beneficentia Mediolani agens alterum ab hinc annum ornatus, auctusque sum: non possum iam ex illo tibi, tuisque omnibus etiam atque etiam non perpetuo uelle debere. Illius enim consuetudine & opera, facile quanta gentis uestrae morum simplicitas, quae publica, domesticaque disciplina, quae in omnes charitas, quanta in deum pietas uestra foret, est perspectum mihi plane ac cognitum. Quid enim uobis ipsis magis rectum, apertumque esse potest? Quid minus insidiosum ac fallax? Arctoe (inquiunt) gentes hoc omnes habent. Ego uero cum fallacissimas ex his multas legam: non caelo, sed naturae plane hoc uestrae, optimaeque disciplinae id tribuam. Iam quid animorum, uoluntatumque uestrarum fraternam in omnibus consensum praedicem: quam non conuiuiorum frequentia tantum, sed officiorum communicatione ac summa charitatis mutuae testificatione tuemini. haec uero uobis adeo natura insita, usu parata, consuetudine aucta fuisse uidentur: ut tot mihi germani fratres, non de facie solum, sed de morum in primis similitudine atque aequalitate uideamini. Quare non immerito admirati Pœnorum legati etiam in

aa hoste

hoste Ro. f. Po. id plurimū esse dicuntur: quod cōiuiuo accepti à pluribus ciuita-
 tis principib⁹, eodē ubiq; cenassent argento, testati nullos hominū benignius
 Ro. Po. uiuere. Nam quid de uestra in regem obseruantia, in deum pietate di-
 cam: Quæ eīm unq; gens aut externos principes nō admittit, aut admissos non
 interdū expulit: saepe etiam per summū scelus nō occidit: Francis id propriū ac
 peculiare, nullos unq; externos pati: suos autē usq; adeo amare ac colere, ut pro
 eius dignitate ac maiestate tuenda nō opes tantū, sed uitam ipsam profunderē
 possint. illa uero, quæ deo ac religioni debet, tanta talisq; est, ut fileri melius pu-
 tem: cum uestigia haud sanē leuiter impressa, tot & tanta extent, ut nulla unq;
 delere illam obliuio, nulla obscurare tēporū iniquitas ualeat. Cæterū excellens
 quædam ac eximia in te uirtus, secundusq; ac constans hominū de te rumor, &
 Ioannis in primis Francisci Asulani adolescētis, cum summæ spei, tum uero lau-
 dum tuarū studiosissimi prædicatio effecit, ut & ego te pridem literis cōsulendū
 duxerim: & nunc Cæsares tibi meos, reliquāq; ad hosce nō uulgarē (nisi fallor)
 industriā cupidissime nuncupem. Quorū lectio tanto tibi gratior ac iucundior
 esse debet: quāto is, qui ea tibi inscripsit, te plus amat ac colit, q̄ multos alios.
 Huc accedit, quod singularē eruditionē tuam, ac multiplicē literarū cognitionē
 magnificat: qd' Minutiæ familiæ nobilitatē (quippe quæ à Romanis illis dedu-
 cta Minutijs p̄ cōstanti habeatur) obseruat: qd' deniq; se tibi q̄ cōiunctissimū
 ac charissimū esse cupit. Sunt quidē in te corporis & animi (uti audio) egregiæ
 dotes: quib⁹ Christianissimo regi gratus, admirabilisq; sis, nulla certe aut maior
 aut honestior, q̄ ut literas, literatosq; homines, qd' facis, foueas: illæ scilicet iure
 repossunt abs te, quod tanta tua cum laude uberrime tribuere. Nam unum te
 esse ac præcipuū, in quē Galliæ tuæ Transalpinæ olim intuerent, quē Cisalpi-
 na tota prædicet, cuius singularē prudentiam atq; humanitatē etiā hostis com-
 menderet: totum hoc literarū beneficium est. Quid, quod Cæsarum hæc à nobis
 instituta, tribusq; libris concinnata series, multa interim habeat, quæ delicatum
 etiam lectore & capere & detinere ualeant: Nam Byzantinæ urbis originem,
 Turcas ad hæc usq; tempora principes, res ab his belli gestas, Maomethis or-
 tum, Romanæ urbis captiuitatē, & Asiæ imperia supra quingentesimū ac mil-
 lesimum annum repetita cōtinet. quæ omnia primus ego (quod sine aliorū in-
 iuria dictum uelim) præstiti: ac ut una ueluti tabella depicta spectari commode
 possent, curauī. tamen si quid libris cōmune cum pictura: pascit illa tantum ocu-
 los, hi animū, mentemq; instruunt. Illa mutam, inanem, ac plerunq; falsam de-
 scriptionem cōtinet: libri uiuentē præceptionē, atq; exactam spondent. tabulas
 etiam imperiti pingant, literarū monimenta non nisi doctissimi cōficiant. Tan-
 to deniq; literæ pingendi artem præstant: quanto docti indoctis, uiui mortuis
 antecellunt. Tu igitur cum ab ineunte ætate ornamenti plurimum & laudis ex
 hisce tibi uendicaris, illis ipsis tantundem reddes: tanto etiam cumulatius, quod
 neq; melius, nec honestius beneficium ullum collocari potest, quàm quod in
 bonos & doctos uiros confertur: quorum mihi uestigia non solum sequenda,
 sed etiam atq; etiam adoranda proposui. Bene Vale.

Ioannis